Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

pendente a tergo Altaris magni ad altare S. Michaelis.

Anno Domini MCCLIII in die sancte Marie Magdalene obijt Albertus Comes Goricie et Tirolis Pater (forte legendum (Patruus) Comitis Meinhardi Fundatoris nostri, qui apud nos est honorifice tumulatus. (hic quædam omissa videntur) n. 5. /Avus vel

Anno Domini MCCLXXIII Claustrum in Stams constructum est (nempe claustrum muratum construi cæptum) a predicto Comite Meinhardo et ab Elisabet conthorali sua, que erat filia Ducis Bavarie, ac relicta pie recordationis quondam Chunradi Regis Romanorum. n. 6.

Anno Domini MCCLXXIII in die sancti Dionysij obijt predicta domina Elizabeth fundatrix huius Cenobii hic sepulta.

Anno MCCLXXXIV Nonas septembris (lege Novembris) Monasterium sancte Marie Virginis et sancti Johannis Baptiste in Stams a septem Reuerendis Episcopis solempnissime consecratum est, eteadem die tumulati sunt in Choro ex vtraque parte ibidem preclarus Comes (Albertus) Patruus Fundatoris nostri, atque auus nobilissimus Comes Albertus cum honestissima Coniuge sua ac liberis eorundem, alijsque de eorum progenie vsque ad duodecim corpora, que prouide apud Tirolim fuerunt exhumata et ad nostrum Monasterium honorifice deuecta, vt apud Matrem Jesu Christi supremam Patronam nostram possent certius sepelirj. n. 7.

Anno Domini MCCLXXXVI (incipiendo annum nempe anno ecclesiastico, incipiendo a Dominica I Adventus) ipsa die Natiuitatis Domini supradictus Comes Meinhardus creatus est Dux Carinthie in Augusta pro (lege a) Rudolfo Rege Romanorum. n. 8.

Anno Domini MCCXCI obijt idem Rudolfus Rex Romanorum primo Comes de Habsburg per omnia fortunatus, sepultus Spire.

Anno MCCXCII in die sancti Georgij Martyris obijt Albertus Illustris Dux Carinthie filius Fundatoris nostri, hic tumulatus. n. 9.

Anno Domini MCCXCV in vigilia omnium Sanctorum obijt sepe dictus Meinhardus Dux Carinthie et Comes Tyrolis et Goricie Aquilegiensis, Tridentine, Brixinensis Ecclesiarum Aduocatus, Fundator monasterii nostri, vir spectabilis et preclarus, hic sepultus. n. 10.

Anno Domini MCCCV in die sancti Mauritij obijt n. 11.